

tualis lucri, non vero de peccato injuriam facientis.  
 — IV. Attamen cavendum ne pusillanimitas, vel animi desidia in propriis obligationibus adimplendis, in nobis regnent sub mentito mansuetudinis praetextu. « Irascimini ubi culpa est, cui irasci debeatis: non potest enim fieri, ut non rerum indignitate moveamur; alioquin non virtus, sed lenitudo et remissio judicatur » (S. Ambros. l. 1, *Off.* pr. 4, c. 21). — V. Noli in tua perfectione confidere, ne zelum iratum timeas: nam « ira saepe etiam innocentes inabducit, quia dum justo amplius irascimur et volumus alienum coercere peccatum, graviora peccata committimus » (Id. *de Joseph.* c. 13).

## REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum coelestium mundus accepit, emissiones tuae sunt, o Maria! (Rupert. Abbas).

Mariam invoca. — An ignoras te? quia non solum benemerentes diligis, sed etiam errantes, et devios reducis ad portum salutis? An ignoras te, quod sis Mediatrix Dei et hominum, et peccatores discordantes a Filio tuo reducis ad concordiam? An ignoras, quod sis pulcherrima mulierum, et ideo intercedendo pro peccatoribus potentissima? (Card. Hailgrinius). Ergo, salva me, succurre mihi, ora pro me, o Mater mea!

Mariam laetifica. — Passiones moderando: ferventer orando: singula Salutationis Angelicae verba devotissime meditando, aut paulatim recitando. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis!* (S. Ildef.).

## CAP. VI.

### DE SENSUUM EXTERNORUM PURGATIONE.

**125.** — Praenotandum. — « *Ad custodiendam cordis munditiam, externorum sensuum disciplina servanda....* Nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt: et nisi interioris gravitatis pondere, et quasi juvenili quodam vigore refraentur, ad fluxa quaeque, et levia mentem enervem trahunt » (S. Greg. Magn. l. 21, c. 2, *Moral.*). — Sed « dum exteriores sensus ab hujus vitae sollicitudinibus sopio, vacante mente vivacius interna cognosco: foris dormio, sed intus cor vigilat: quia dum exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo » (id. l. 23, c. 12).

#### ART. I. — De Sensibus externis generatim.

**126.** — Numerus sensuum externorum. — *Quinque sunt exteriores sensus: visus, auditus, odoratus seu olfactus, gustus et tactus.* Sensus sunt dicti, quia per eos anima subtilissime totum corpus agitatur vigore sentiendi (S. Isidor. *Etymolog.* c. 1). Sensus



est quaedam deficiens participatio intellectus (S. Th. 1, q. 77, a. 7). — OBJECTUM QUINQUE SENSUUM est res materialis, seu corporea, singularis, praesens, localiter extensa.

**127.** — Sensus debent purgari, moderari et custodiri, ut patet ex n° 125. Etenim. — I. « Cum male custodiuntur sensus, ejicitur Christus et intrat diabolus » (S. Antonin. p. 1, tit. 2, c. 3). — II. Nimis indulgens sensibus, bestiis comparatur: nam « sensu nos multae bestiae superant: itaque humana anima quanto in sensus declinat, tanto magis similiorem hominem pecori facit » (S. Aug. *de quant. animae*, c. 28). — III. Ratio ergo moderetur sensus, et anima non fiat sensuum mancipium: « nam sensu nos multae bestiae superant, mente autem, ratione et scientia nos Deus illis praeposuit » (*ibid.*). Nota tamen quod corpus humanum multo nobiliter et perfectius est brutorum corporibus, et in complexu materialium qualitatuum nulla bellua hominem superat. — IV. « Nemo nobis magis, quam sensus, qui vere est intimus noster domesticus, adversatur » (Joan. Cass. *coll.* 18, *Ab. Piam.* c. 16). — V. Serva et custodi sensus tamquam cordis et animae januas et fenestras. Etenim « per quinque sensus, quasi per quasdam januas aut mors, aut vita ad animam nostram ingreditur » (S. Aug. *tr.* 15, *sup. Joan.*). — « Sensus exteriores sunt quasi quaedam corporis fenestrae, per quas latrones ad interiora ingrediuntur bona gratiae rapiantes » (Gloss. ord. *sup.* 2 *Reg.* 11). — « Per hos etenim corporis sensus, quasi per fenestras quasdam

exteriora quaeque anima respicit, respiciens concupiscit » (S. Greg. Magn. 1. 21, c. 2, *Moral.*). — VI. « Sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes: anima vero in aurigae modum retinet fraena currentium » (S. Hieron. 1. 2, *adv. Jovin.*). Ergo non vincatur auriga, sed vincat et gubernet... — VII. « Sensus custodia puritatis est causa, pacis disciplina, devotionis camera » (Kempis, *Hort. Rosar.* c. 4). — CONCLUDENDUM: « Omni nobis cautione curandum est, ut omnes nostri corporis sensus, tanquam sacrosancta Domini holocausta in nobis illibata atque intacta servemus » (Joan. Cass. *coll.* 21, *Ab. Theonae*, c. 26).

**128.** — Sensus comparatio. — I. *Ratione perfectionis* ille sensus aliis praestat cujus objectum est universaliter et actio minus materialiter exercetur. Unde *visus* perfectior est omnibus, quia plurima simul videntur et in magna distantia videntur. Sequitur *auditus* qui percipit longinqua, sed minori amplitudine quam visus. Deinde *olfactus* quia percipit aliquatenus distantia, sed unam tantum qualitatem. Quartum occupat locum *gustus*, qui requirit immediatum contactum et intimius percipit quam tactus. Denique *tactus* qui et requirit immediatum contactum, et modo magis materiali exercetur. — II. *Major tamen habetur certitudo* ex tactu et ex visu quam ex aliis sensibus. Et ad hoc tactus praestat visu. — III. *Vitae animali magis necessarii sunt gustus et tactus. Utilior intellectui est visus, deinde auditus.* — Quae omnia prae oculis



haberi debent ut intelligatur modus loquendi philosophorum et scholasticorum.

ART. II. — De Sensibus externis speciatim.

**129.** — **Visus** est quidem perfectissimus et nobilissimus sensuum exteriorum, sed perniciosissimus si non moderetur. — **VARIA CIRCA NOTIONEM OCULORUM:** 1° Oculus dictus est quasi *ocior lux*, quod cito intenta respiciat: sive quod palpebris oculentibus probatur occultus (Cassiod.). — 2° Oculus non videt ob triplicem causam: aut quia voluntas non vult; aut ob defectum organi; aut ob absentiam lucis (S. Bonav.). — 3° Frequens clausio oculorum indicium est mobilitatis animi (id.). — 4° Oculus exterior indicat interiores mores (id.). Oculus triplex est: oculus carnis, oculus rationis, oculus contemplationis (Hug. Victor.). — 5° Oculi alii sunt concupiscentiae; alii intelligentiae; alii misericordiae (S. Bonav.). — Oculi dilectionis et fidei ad Deum levandi (id.). — 6° Oculus scandalizans eruendus, id est, occasio removenda peccatorum. — 7° Oculus spiritualis per Sacramentum Eucharistiae reficitur et sublevatur (id.). — 8° Oculi diaboli sunt *pravae* subtilitates et astutiae (id.). — 9° Dei est quod oculus in orbem sic apertus arctatur angustissimus in pupillam; quatenus moderate visum videat, non invideat: praevideat, non proripiat: prospiciat, non despiciat (S. Pet. Chrysol.).

**130.** — **Visus moderandus:** 1° *Abstinendo ab*

*aspectibus, libris, spectaculis et aliis rebus illicitis et periculosis.* — 2° *Vigilandum pacifice sed firmiter*, ne in insidias diaboli per oculos cadamus. Etenim, « ideo generalis experientia sensuum concupiscentia oculorum vocatur, quia videndi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam caeteri sensus sibi de similitudine usurpant, cum aliquid cognitionis explorant » (S. Aug. l. 7 *Confess.* c. 35). — 3° *Oculi non remaneant fixi* in faciem personae diversi sexus, neque in objecta minus honesta quae in quibusdam locis publicis inveniuntur; a fortiori si sint notabiliter inhonesta: nam ubicumque adest periculum, statim avertendi sunt, et neque ad meram curiositatem liberi relinquendi. Ad gradum culpabilitatis in peccatis oculorum, cfr. quae traduntur in *Theol. Morali.* — 4° Custodia cordis firmat oculorum custodiam: e contra « oculi duces sensuum, cito cor vagum inficiunt » (Silvian. l. 3 *de Gubern. Dei*). — 5° « *Reprimendi sunt oculi*, quasi quidam raptores ad culpam » (S. Hieron., l. 2, *sup. lam. Jer.* c. 3). — 6° *Esto ergo dominator oculorum tuorum*: nam « nihil peccant oculi, si mens velit his dominari » (V. Beda, *Prov. verb. Nil.*). Equidem non poteris non videre in hoc mundo corruptionibus abundante quae puros oculos offendunt, sed poteris non aspicere, et avertere oculos tuos, ne videant vanitatem et malitiam.

**Monita.** — I. *Memento* quod oculis cecidit Eva, oculis deceptus fuit Samson videndo Dalilam, oculis David videndo Bersabee, oculis Salomon videndo



mulieres alienigenas. Et tu non fraenabis oculos? salutariter time, et esto vir fortis et prudens mortificatione et oratione roboratus. — II. Non fugies tantum quae absque peccato aspicere aut legere nequis, sed *rejice vana, inutilia et non necessaria*, et modestia tua coelestibus benedictionibus donabitur. — III. *Cavendum ab habitu curiositatis*, quia multis vertitur in magnam ruinam. Quid ad te de millibus quae curiose scire aut videre velles, sub praetextu licetatis objectorum? — IV. Sit tibi utilis *recreatio moderata contemplatio agrorum, stellarum, plantarum, aquarum et similium*, et horum visione, eleva cor tuum ad Creatorem, et cum materiali oculorum honesta recreatione internum cordis oculum laetificabis. Opera vero hominum vana, et omnia periculosa sollicite fuge. — V. *Cave tamen ne in oculorum moderatione ridiculus et excessivus fias*, praesertim immoderato timore et vere scrupulosa agendi ratione, oculos frequenter simulque subitaneo violenter claudens et adaperiens; et alia insolita gesta faciens ad involuntariam alicujus objecti non vere inhonesti praesentiam. Timor enim non vere regulatus et moderatus, ut dictum est, animam perturbat, et tentationes causat et adauget. Si aliquod *vides* minus grave, illud *non aspicias*, sed transi in pace ad alia. — CONCLUDENDUM dicendo (verbo et opere) cum S. Augustino (l. 10 *Conf.* c. 34): « Resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei; et erigo ad Deum invisibiles oculos, ut evellat de laqueo pedes meos ».

**131. — Auditus.** — Visus fuit Evae initium inobedientiae, auditus decepit et Adam, quia audivit vocem uxoris suae, et comedit de ligno ex quo praeceperat eis Deus ne comederent. Multos salvos fecit auditio verbi Dei, innumeros perdidit auditio mundanae vanitatis. — VARIA CIRCA NOTIONEM AUDITUS. 1° Auditum et visum amamus, maxime quia per eos plura, quam per alios sensus discimus (S. Bonav.). — 2° Dicitur auris mala seu diabolica quae audit verba vana, lasciva (id.). — 3° Tres sunt verbi auditores: pigri, activi, contemplativi. Pigri audiunt, et audita contemnunt; activi audiunt, et auditis obediunt; contemplativi audiunt, et in amplexu obdormiunt. Pigri torpent, activi laborant, contemplativi quiescunt. Pigri sunt debiles, activi fortes, contemplativi vacantes (Hugo a S. Viet. l. 4 *Miscell.*). — 4° Quatuor sunt auditorum differentiae: Quidam audiunt, sed non retinent, ut obliviosi. Quidam audiunt et retinent, sed non faciunt, ut desidiosi. Quidam audiunt et retinent et faciunt, sed non complent, ut negotiosi. Quidam audiunt, retinent, faciunt et complent, et hi sunt studiosi et virtuosus (S. Bonav. *in c. 2 Luc.* 8).

**132. — Auditus moderandus**, ut *non diligamus vanitatem nec quaeramus mendacium. Non obediamus linguae iniquae, nec sermonibus saecularibus et illicitis inficiantur aures nostrae*, per quas tam misericorditer et frequenter pervenit ad nos eloquium sanctitatis, veritatis, et divinae charitatis. — ERGO FUGE 1° sermones haeticorum et impiorum;



2° verba malignantium contra proximum, ac proinde viros murmuratores; 3° verba mundanorum, ne totus vanitatibus et nugis occuperis; 4° conversationes periculosas (praesertim inutilia foeminarum eloquia) et rumores saeculares.

**Monita.** — I. Ipsi pagani agnoverunt necessitatem resistendi primis aurium pravis pruritibus. Sic Seneca, *epist.* 123, haec habet: « Claudendae sunt aures malis vocibus, et quidem primis; nam, cum initium fecerunt, admissaeque sunt, plus audent ». — II. Cavendum ab excessu et defectu in auditu; unde « auditui janua ponenda est quae recte claudatur, et aperiatur » (S. Greg. Niz. *or.* 2). — III. Unde noli fieri fratribus tuis gravis, illos *absque ratione* quasi fugiendo, sed in ordinariis memento quod « quatuor sunt quae precipue conveniunt auditori, scilicet: dicentem audire patienter; audita discutere sapienter; sapida aliis tradere; insipida confestim oblivisci » (S. Th. *opusc.*). — IV. Saepe fraternae charitatis defectus vel propria in virtute acedia et indevotio impedit quominus devotorum modestae et vere quoad rem et quoad modum moderatae conversationes libenter audiantur; dum e contra vani et imperfecti liberrime sustentur: et tunc expedit de propria quasi animositate serio dolere, tanquam de quadam invidia contra viros perfectiores. Cave ergo ne de te dici debeat illud D. Greg. Magn. (l. 7 *Moral.* c. 2): « Injustis semper gravia sunt verba iustorum, et quod ad aedificationem prolata audiunt, haec quasi superimpositum pondus ferunt ». —

V. Verba murmuratorum solent dulcissima videri et dulcissime auscultari. Tu vero « ne desideres ejus auscultare sermones, qui dulcedine auditores fallit » (Glossa ord. *Prov.* c. 23). — VI. Quanto magis in divinis eloquiis delectaberis, tanto melius vitare poteris laqueos inique loquentium. — VII. « Benigne audiendum est, devote suscipiendum, sollicitè conservandum, quidquid ad animarum salutem pertinet » (S. Bern. *serm.* 2, *de SS. Pet. et Paul.*). — VIII. « Tria sunt, quae depravant auditum, scilicet: verba elationis, verba detractionis, verba adulationis » (S. Ant. Patav. *serm. Dom.* 16 *p. Trin.*). — CONCLUDENDUM: « Magna est auris fenestra, per quam mors in mundum ingressa, cunctas devoravit gentes ac nationes, et insatiabilis adhuc remanet » (S. Ephrem. *de morbo ling.*). — Ergo sollicitè custodiendus auditus.

**133.** — **Olfactus** seu **odoratus** potest vitae spirituali et animae saluti nocumentum inferre si non mortificetur, quia abundantia odorum praesertim arte mixtorum, si sit habitualis, aliquando potest conducere ad mores effeminatos et lascivos. Imo multum dedecet, quod viri spirituales materialibus circumdantur fragrantis. Et multo magis reprehendendi ecclesiastici (et a fortiori religiosi) odoramentis onerati, quia tales multo facilius scandalizant fideles et mundanis periculis sese exponunt. — **NOTA CIRCA NOTIONEM ODORATUS.** — 1° Odor habet de natura humida, de aerea et ignea (S. Bonav.). Tu ergo, devote vir, despectis mundanis odoribus, reple cor tuum et



animam tuam mystica virtutum fragrantia, ut abundet in te humiditas et ros divinae gratiae, aer sanctarum ad superna aspirationum, ignisque ferventissimae charitatis. — 2° Odor vel est praedicationis, vel vitae, vel mortis, vel orationis (id.). Ergo vita tua sit virtutum efficax praedictio, divinae gratiae manifestatio, alienae vitae correctio, pravi exempli destructio, coelestium benedictionum argumentum: uno verbo, *Christi bonus odor simus Deo in omni loco*, ut nobis et aliis bene sit, per gratiam et gratiae abundantiam, quae Deus cum bona voluntate petentibus misericorditer concedit.

**134. — Olfactus moderandus.** — Unde 1° Odorum fragrantiae non admittantur neque in corpore, neque in vestibus, neque in domo, sed tantum in domo Dei et pro rebus sacris, modo templi gravitati et reverentiae convenient. — 2° Tolerandus moderatus usus florum naturalium, quando ratio propriae conditionis exigit ut aula receptionis sic ornatur. — 3° Abstinendum etiam a nimis frequenti usu odoriferos flores secum habendi et odoratum illis frequenter recreandi. — 4° Usus hortorum plantis floriferis et aliis ornatorum honestae recreationi devotis concedatur, cum haec non sint contra moderationem olfactus. — 5° Cave ne, sub medicinae praetextu replearis inutilibus odoribus et suscipias habitum mundanorum odorum. Necessitate vel vera utilitate cogente, noli scrupolosus fieri.

**Monita.** — I. Noli judicare quos tibi videntur odorum amatores, sed teipsum judica et alios ne de-

spicias. — II. Quando olfactus fragrantis delectatur, v. gr. in hortis, ecclesiis, etc., considera coelestem fragrantiam sanctitatis, et laetare in Domino qui paradisum deliciarum in coelis tibi praeparavit. — III. In mortificatione olfactus cave ab extremis et noli perturbationem cordis sub mortificationis forma admittere. Hic enim praecipue agimus contra illos qui vitam nimis delicatam agunt, delectationes sensuum etsi licitas nimis sibi procurantes, et sensibus nimis indulgentes.

**135. — Gustus non moderatus est maxime periculosus.** Scriptura, Historia et quotidiana experientia docet perniciosissimos effectus intemperantiae gustus, et multa et magna crimina debentur conviviis mundanis. Imo hodie massoni et sectarii multa nequissima praeparant per sensualitatem in comedendo et bibendo praesertim in conviviis ab ipsis sectariis regulatis. Unde praeter ea quae *Th. Moralibus* notat de gula, maxime convenit ut Dei servus invigilet ad gustum intra limites continendum, ne fiat vitae spiritualis impedimentum. — **NOTA CIRCA NOTIONEM GUSTUS.** — 1° Gustus est quidam tactus (S. Bonav.). — 2° Ex gustu immoderato fit gula, quae merito vocata fuit janua omnium vitiorum (ut habet id.). — 3° Gulae vitium vixit simul cum luxuria ante diluvium, et in fine mundi maxime vigebit (id.). Quod quidem nostris temporibus nimis eheu! applicari potest, cum ubique terrarum una cum magna sensualitate quotidie nova inveniantur et excogitentur media ad insatiabilitatem gustus satisfaciendam, seu potius adaugendam.



**136.** — **Gustus moderandus.** — Quoniam hodie novae quotidie enascantur verae sensualitatis manifestationes et exigentiae, per quamdam artis culinariae et liquoristicae et dulciariae, etc., certam (sed et corporibus saepe et animabus saepius nocivam) perfectionem progressivam, servus Dei debet se praecavere contra modernum quasi *cultum sensuum et vitae mere materialis*, ne terrenis deliciis quaerendis occupatus, amittat spiritus vigorem. — UNDE: 1° *Non quaerantur delicata alimenta, sed communia*; 2° *Communia non admittantur usque ad satieta-tem*; 3° *Cum gratiarum actione et debito modo, et non ad delectationem accipiantur.*

**Monita.** — I. In jejuniis et abstinentiis fuge et rigorem jansenismum sapientem et nimiam facilitatem circa causas dispensantes. Unde recte, et juxta *Th. Moralis* principia agendum sub securo Directoris consilio. — II. Optima moderatio gustus est, nihil speciale (nisi absit vera necessitas) quaerere, de cibus sollicitudinem (salva charitate a Superioribus praesertim exercenda) non habere, et manducare quae nobis apponuntur, abstinentes a qualibet murmuratione. — III. Extra prandia non comedendum nec bibendum, salvo necessitatis casu. — IV. Liquores et res delicatae non facile accipiantur, et industriose agendum, ut moderatio servetur, etiam in magnis conviviiis in quibus debemus intervenire. — V. In prandiis, devotus servus Dei semper scit modum mortificandi (in aliquibus vel minimis rebus) proprium gustum, adstantibus id nullatenus adver-

tentibus. — VI. Peroptemus et valde desideremus gustare et sentire quam suavis est Deus, et ex ipso usu ciborum et potus, occasionem sumamus cogitandi coelestia, considerandi indigentiam tot mendicantium, etc.

**137.** — **Tactus** est omnium sensuum periculosissimus, utpote qui per totum corpus divagetur. Et ratione infirmitatis nostrae tactus nobis fit maximus inimicus et tyrannus, contra quem totis viribus pugnandum, ne illius astucia vel violentia vincamur.

**Tactus moderandus.** — 1° Valde necessaria est modestia; 2° Non nimis quaerendae commoditates lecti, et excessivae quietis corporalis; 3° In cura corpori necessaria, cave a periculis, ne multum immereris in externo ornatu, et noli te decipere fingendo necessitates ubi non sunt; 4° Cave a quolibet contactu corporis alterius sexus: et in salutationibus more patriae faciendis, sint tibi in exemplar graviores devoti et ecclesiastici magis venerandi et conversatione dignioribus; 5° Cave a contractione non necessaria aliorum et tui ipsius, a consuetudine manibus cum aliis jocandi (jeux de mains, juegos de manos), a moroso et minus honesto contactu proprii corporis, seu a quolibet contactu qui religiositatem offendit, quamvis non sit aliquo modo vel simpliciter inhonestus; 6° Abstine a vestibus mollibus, subtilibus, et sensualitati et vanitati potius quam necessitati inservientibus; 7° Cum Directoris consilio, aliquas corporales mortificationes adhibe ad sensus cohibendos.



**Monita.** — I. Viri spirituales et devotorum Directores dum ab imprudentiis fieri debent alieni, ne corpus inutile reddatur, debent serio considerare et fortiter destruere *falsam multorum opinionem, qui quasi ex regula generali abhorrent ab omnibus externis et non praeceptis mortificationibus*, non parum tali agendi ratione cooperando ad praesentis saeculi quasi generalem sensualismum et practicum horrorem nominis, rei, memoriae et recordationis vitae poenitentis et mortificatae. — II. Parentes devoti conentur mundanos non sequi in modo molli, sensuali et delicato educandi proprios filios. Et in hac re et in caeteris negotiis quae salutem animarum respiciunt nullo pacto timeant humana dicitia, et nolint insaniam mundanam ideo imitari quia generalior evadit. — **CONCLUDENDUM:** Multi perierunt, quia sensuum pericula non vitarunt. Tu vero noli esse temerarius.... siquidem « sunt multi temerarii in periculis et naufragiis spiritualibus: temerarium enim est, non cavere, ubi multa sunt pericula » (Hugo Card. *sup.* 2 Cor. 13).

## REQUIES ANIMAE.

**Mariam cogita.** — O peccator, o peccatrix, etiamsi omnia peccata perpetrasses, quae committi vel excogitari possunt, et quaecumque omnes mundi homines ac mulieres commiserunt; etsi tua scelera numerum stellarum in coelo, numerum arenae maris excederent, multoque

plura essent, quam frondes arborum, quam folia herbarum, noli in desperationem prolabi, ad Virginem statim recurre, et iniquitas tua ad instar nebulae hujusce solis radiis dissolvetur atque fugabitur (Bernardin. de Busto, *in Mariali*, p. 9, serm. 2).

**Mariam invoca.** — *Eia ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte*, ac vel unius benignioris aspectus indulgentia, fac nascatur in me firma spes vitae, ac praesentiae tuae, desiderabilis super aurum et lapidem pretiosum multum (V. Joan. a Jesu Maria, t. 4, *Epist. ad B.* V.).

**Mariam laetifica.** — Misericordias B. M. V. decantando, et orando pro conversione eorum qui tam pientissimam Reginam non orant: sensus mortificando. — *Ut sim servus Filii, servitutum appeto Genitricis* (S. Ildef.).